ADMODUM REVER. PATRIS

ALOYSII MAZZONI

SENENSIS

EX MINORI OBSERVANTUM FAMILIA

IN AMBROSIANA BASILICA A. MDCCXLIV.

ORATORIS EXIMII

De Beatitudine Animae Somnium

MARCELLO MALASPINAE

SENATORI AMPLISSIMO

EX MARCHIONIBUS PHILACTERIAE

JOSEPHUS TANZINI SACERDOS FLOR. A. A. P. A.

Candidum, ac devotum grati animi pignus dedico, conſecroque.



FLORENTIAE MDCCXLIV.

Ex Typographia BERNARDI PAPERINI ſub Signo Palladis, & Herculis.

SUPERIORUM PERMISSU.



De Beatitudine Animae Somnium.





Uae nova, Mortales, ſe ſe mihi pompa triumphi
Explicat? illuſtrem quam cernimus aſtra petentem
Sponſam concilio Superûm, thalamoque jugandam?
Quis novus intonſo fulgor de monte Taburno
Exit, & in noſtras diffundit gaudia mentes?
Ite procul ſcelerata cohors, abſiſtite vulgus
Ignarum, immundum: rerum pulcherrima viſu
Somnia Caſtaliis non umquam audita ſub antris,
Nec Vatum celebrata choris, aut cognita Phoebo
Expediam. Vos, o Muſae, genus ab Jove ſummo
Adſpirate mihi, ſanctum genus, ardua grandi
Aſſuetae calcare gradu veſtigia Muſae,
Et facilem monſtrate viam, qua nubila vincam,
Oſcula qua videam caſta, & data praemia Sponſae
Victricis lacrymarum & culpae & mortis & Orci,
Omnigeno Sponſae cumulatae munere Divum.

Tuque adeo celsi decus aetheris, optima Virgo,
Cui caeleste tubis adsultat ovantibus agmen,
Divinique sacrae famulantur Apollinis aedes
Annue, virgineam non lauro cincta caduca,
Ast immortali frontem redimita amarantho,
O bona non solitis Regina adlabere coeptis.
Oceano surgens terras adsperserat omnes
Aurora, & roseo stellas Oriente fugarat,
Cum mihi caelestis recubanti Heliconis in umbra
Extemplo, oh mirum! radianti e sidere lapsum
Adparet Numen; divinum vertice odorem
Spiravere comae; talis illudere palla
Picta videbatur, tota & candore nivali
Sparsa, sed in pulcro mage corpore pulcra nitebat;
Ora coruscabant nimio flammantia sole
De agmine bisseno terno comitante sodali.
Adparet ne, gregi sitienti ut porrigat ultro
(Ajebam tacitus correptus imagine veri)
Praegustanda suo vitae caelestia dona?
Nec mora: delabi nubes mihi visa repente,
Splendorum velut alma parens, & nuncia pacis,
Candidaque,obvolvens Christum,aethereamque refundens
Orbe suo lucem comitum pia corda trementum
Irradiat, totumque illustrat lumine montem.
Miratur factum insolitum, miratur & ignem
Ire redire viam, & sociorum allambere vestes
Divini haud patiens vultus, flammaeque coruscae
Attonitus Petrus, tantisque ardoribus impar
Corruit in faciem, ter sanctum Numen adorans;
Hinc exoptanti similis, similisque paventi,
Laetoque attollens rorantia lumina fletu,

Ecquis

Ecquis te Patrem, quis te neget, inquit, amantem,
Summe Deûm, qui nos tanto dignaris honore,
Totque bonis cumulas animos caeleſtibus implens?
Vix ea fatus erat, rubra vibratus ab aethra
Cum ſonitu fulgor micat, & polus intonat, & mons.
Interea, ſi gutta boni, fugitivaque tanti
Pars libata adeo rapit, allicit intima cordis,
Et beat, in terris vitae dum veſcimur aura,
Quis me, quis frenet, ne contra concitus ira
Perſequar inſurgens caecos agitatus amores,
Heu male concepti, incuſans, male perditi amores
Quo vos praecipites agit error devius? ecquis
Faſcinus exurit miſeros? date vela retrorſum.
Spes male ſanae hominum, quo pergitis? altera vobis
Corripienda via eſt, Caeli quae limina pandat:
Ignarae mentes! ſtultiſſima pectora? quare
Difficiles peragrare vias, & corpore toto
Laſſari, frangique per antra horrentia culpis,
Ut bona jejuna, arida, inania, flaccida, vento
Plena prehendantur, quamvis fugientia, quamvis,
Ut ciſterna imo male ſervans flumina fundo,
Ardorem nequeant humani extinguere cordis?
Talia, (vera loquor) Jonathae, bona terrea, qualis
Gutta favi guſtata labro, fera funera portant.
Lethales ſucci! veſtra dulcedine, amara
Fata propinaſtis juveni male cognita fido.
Non poſſeſſa animum excruciant, poſſeſſaque centum
Taedia parturiunt, odium, ſuſpiria, curas
Spinoſas in corde ferunt, potandaque mortis
Abdita ſub dulci praebent aconita liquore.
Ut qui proſpectae correptus imagine formae,

 Quae

Quae placet, obtutu meditatur, & haeret in uno;
At si luminibus sese offerat altera pulcro
Pulcrior aspectu, nova surgens flamma medullis
Fervet, & extincto pro prima ardore, secundae
Majori sentit sese succendere motu,
Plenoque immergens animam inflammatur amore.
Ergo, quid hic segnes, torpenti pectore, prono
Ad terram vultu defixi mente moramur?
Et quoniam grato placuit pro pignore, Christo
Leniter adflatos supero divinitus igne
Irradiare suos flammarum adspergine pascens,
Consilia in melius revocate, prehendite callem
Gaudia anhelantes non deficientia, ab ipso
Fonte salutifero quae laeti exhausta bibemus;
Quo Paradisiaca semper recreabimur aura,
Ver ubi perpetuum ridet, Sol splendet in aevum;
Et fidei lucente face, & duce lampade amoris
In spem tollamur vivam longinqua beati
Prima salutantes tantisper limina Regni:
Quod si, dum vigili meditamur mente supernum,
Sanctum, augustum, unum, complectens omnia Numen,
Laetitiae, tacito allapsu, perfundimur imbre,
Fortunatus ero, cui somnia fida referre
Contigit. At quis me subito rapit? unde medullis
Non sine divini haustu Numinis ignis anhelat?
Sensimus acceptum ardorem; mea carmina, vires
Sumite, per durum desudat semita callem.
En adsum; accipio vestrum, o bona Numina, laetus
Dulce sacrum; accipio flammas, nec fallere vestrum est
Caelestes: mihi divino cita sidera plaudant
Concentu, dum sacra cano, dum tanta revolvo.

Jam

Jam mihi per liquidum cernuntur currere campum
Felices animae laetum Paeana canentes.
Jam videor ferri in nubes, & praepete penna
Ventorum evectam calcare vagantia, passuque
Astra triumphali video conscendere Sponsam
Millibus exuviis stipatam, mille tropaeis
Gaudentem video & gaudens ego, quomodo magnus
Viderat Albertus, video: de parte serena
Jam proculcatos ridet jam despicit hostes
Casibus erepta innumeris, defuncta labore,
Carcere squalenti, & dura obsidione soluta,
Non Orci imperio, non morti, aut subdita culpæ;
At secura sui laqueo luctata protervo
Aetheream redit illa viamque instaurat ad arcem,
Strataque victrici sub planta singula cernens,
Et formam, formaeque decus decori addita secum
Tam pretiosa sui miratur pignora, & intus
Percurrit dulci relegens laetissima visu:
De se gaudet ovans superata pericula ridens:
Se super exultat dum Numinis ora tuetur:
Exilit interius tot dotibus aucta, bonisque.
Haec picti facies, mea sunt haec somnia Caeli,
Quae pia non humili resonabit carmine Musa.
Aut ego, quae referam vanus mihi cantat Apollo,
Aut vos illectos pictura, & imagine nostra
Vis aget impatiens perculsos corda dolore
Cum lacrymis, gemituque iterantes flebile murmur
Quis mihi, quis nostro solvet de corpore nexus,
Liber, ut in tuta requiescam Numinis ulna?
Quot pelago fluctus, tot sunt discrimina, caedes,
Prolapsusque, quibus dejecta a culmine laeto

Vita velut tantis involvitur acta procellis.
Arma fremit mundus, fremit arma caro, excidiumque
Heu crudele hostis minitatur uterque: nefandis
Insequitur primus crucians, odiisque, doloque,
Et capit insidiis agitans noctuque, diuque
Totus in hoc, longum ut lacrymas extendat in aevum,
Et dente invidiae adtritos, fastuque superbo
Pressos optaret velut ima in Tartara trudi:
Hinc pugnat ratio, sensus flagrat inde rebelli
Seditione furens; mentis pars unde superna
Carnis ab opposito concussa subacta duello
Exitium metuens tremit irreparabile mortis.
Exclamare licet: pugnae undique, & undique pugnae,
Intusque exagitant trepidantia corda pavores.
At vos hinc (jubeo) simulacra o vana dolorum,
Funestae laethi facies discedite, tristes
Importunae umbrae, vestri teterrima imago est,
Dum spectanda mihi se se offert obvia Sponsa
Candida, collucens, vultu nitidissima, Divûm
Ordinibus referenda novis, Caeloque dicanda.
Quam Sponso bene nixa suo petit aurea tecta
Urbis pacificae, vitae, lucisque corona
Pro meritis cingenda suis, pretioque laborum?
Majestate movet veluti nova filia Regis
Nubivagos passus. Proh quantis affluit illa
Deliciis undans! Et laeti quanta venustas
Oris! amabilibus quam splendida gratia labris!
Interea pergens auro purissima lucis
Saucia dividuo designat nubila sulco,
Attollensque oculos ad limina clara priusquam
Auratum subeat solium laetissima sistit,

Sub

Sub pedibusque videt superata pericla, quibus tot
Cingimur, & veluti caecis jactamur in undis.
Fortunata novae sentit praenuncia signa
Laetitiae, redeuntque animo quaecumque verendum
Augustae Triados Numen vulgata per orbem
Veridico immensum decreta tonaverat ore.
Mors tibi, clamoresque, catenatique dolores,
Aeternoque gement clausi sub carcere luctus.
O vaga caelestis dilecta Sionis alumna
Nunc bene habet; cessere metus, cessere pericla
Extremam tibi perniciem, cladem que minata:
Atropos haud ultra insultat deducta triumpho
Saeva tuo, sed vultum ulnis pudibunda recondens
Dat gemitum, frustraque dolet captiva catenas.
Libera odorifero fruere, o pulcherrima, campo:
Diffugere nives, nebulae, gelidaeque pruinae;
Non regressuras lux abstulit una; serenum
Sol retegens vultum tibi candidus explicat ignes.
Mors eat, ostendat palmam, enumeretque trophaea
Sanguineum promens telum, & calcaria, & arma,
Te quibus, & sufferre sitim, sufferre famemque,
Et modo triste gelu, modo taedia adegit, & aestus,
Somnum, & pauperiem, & quaecumque incommoda secum
Fert misera haec aetas. Aeterno foedere constans
Tecum servavit pactum, fidissima, Numen,
Aere & praecinctam triplici, triplicique vigore
Roboreo fultam dedit Orci obtundere monstra,
Incursusque necis caelestibus obruta telis
Vincere, praecipitemque in Tartara mittere culpam:
Et nunc aeternae donatam munere lucis
In partemque suorum operum, regnique vocatam

Laeta triumphali excepit victoria curru,
Unde arctata rotis calcatur turba malorum,
Et pavor, & luctus protritaque Daemonis ora.
At si pro Coelo nil, quam mea Musa colore,
Quod tenui verborum ausit depingere, vestro
Subjiciens oculo, comprendi debeat, ecquid?
Nonne foret tanti, coelesti ut flagret amore
Virgo, puer, populus, civis, plebs, dives, egenus,
Et quantum est ubi vis humanae gentis, & illud
Quod fortunatum genus heu! miserabile, quantum est
Terra hominum, sanumque vocat, quod debile, & aegrum est?
Ut qui post longos, jussu cogente, labores
Compede servitii tellure, marique solutus
Optatos patriae muros, ac tecta revisit
Emeritus civis, turba comitante suorum,
Corripitur subito motu, exultatque repente
Impos pene sui, dum lustrat singula, factus,
Nec sibi concredit, reputansque, ut somnia, sortem
Antiquae libertatis, stupet inscius, unde hoc?
Exclamans, ubi sum? sospes ne ego, sum ne ego liber?
Ergo animae illius regnum coeleste petentis,
Dum redit ad Sponsi thalamos, libandaque casta
Oscula, delicias, quis nam, quis gaudia fando
Explicet? & grandi referat tam grandia cantu?
Non mihi si centum linguae; totidemque canoro
Aere tubae fusum perflaret carmina pectus
Laudatos valeam plausus, animaeque triumphos,
Et pompas numerare, & virgineos hymenaeos.
Dum tamen haec recolo, volat illa per invia rerum
Auratasque domos, & gemmea tecta, viasque
Stelliferas, vitreosque altis cum moenibus amnes
Tran-

Transgrediens sancti conscendit culmina montis,
Cunctaque perlustrans tacito loca lumine, Coeli
Quidquid terrarum est propulsum gaudet ab oris:
Non illic inferre pedem mens turbida tentat;
Sollicitorum hominum longe commercia, quaestus
Suspicio, atque odium, rabiesque, & livor, & ira,
Illecebraeque, jocique, & amor sceleratus habendi,
Et caeca ambitio, fluxisque licentia verbis,
Atque effrenato gradiens petulantia vultu,
Improbaque ingluvies, titubansque incondita gressu
Ebrietas, volucremque hebetans ignavia mentem
Exulat aeternum. Solum sanctissima legum
Foedera habent sedem; tutae, vigilesque domorum
Et prima, & media, atque extrema cubilia servant
Praedulces visu facies, cantusque, chorique,
Festivi risus, castisque ardoribus urens
Sanctus amor, claraque fides in veste refulgens,
Et pietas admota manus ad pectora, candorque,
Et pudor, & pax, & niveo concordia limbo,
Et sancti mores, & laudum fulgidus ordo,
Et secura quies, castissima quaeque voluptas
In numerum plaudunt choreas, & carmina dicunt
Exosae curas per amoena suburbia laetae
Discurrunt, totoque abigunt suspiria Coelo.
Illa autem antevolans aequo pulcherrima cursu
Alta petit, sciditque viam pernicibus alis
Nixa super, roseaque labans cervice recumbit
Aeterni gremio Regis: gratantur eunti
Sidera, & haec aliis, aliisque recursibus oras
Luce intertextae certant allambere vestis,
Alarumque sono circum, zephirique, jocantesque
 Obstre-

Obstrepitant aurae, dulcique iterata susurro
Oscula furantur, choreisque per aera ludunt.
Jamque propinquabat Caelo, & jam comminus urbis
Aeternae muros, bipatentiaque atria spectans,
Emicat extemplo, rapiturque in imagine tota
Laetitiae; ardet amans, iterumque iterumque sub imo
Pectore nascentis surgunt nova semina flammae,
Quae modo prodierant, iterumque, iterumque resurgunt;
Ac sitiente bibens animo nova gaudia, amore
Elanguet perculsa novo, & fit dulciter impos.
Huc vos, alipedes stellata in veste ministri
Currite, & impulso portarum cardine, laeto
Excipite amplexu venientem, ad moenia civem
Vestra salutate, ac plausu celebrate faventes;
Atque ita concordes nostris adjungite voces.
Ingredere, o felixque subi pede, Sponsa, secundo,
Perque loca aeternum spatiare empirea in aevum,
Astrorum decus, & superae nova gloria gentis
Nullo tacta metu, laethi secura periclo,
Infernique anguis morsu, culpaeque veneno
Sedes vise tuas, cape munera, cingere sertis,
Cingere, quam dives tibi gloria texuit, & quam
Stamine virtutes neverunt versicolore
Veste micante auro, ac nitidis lucente smaragdis.
O de formoso grege virgine candida virgo,
Advenit tempus, revoluto sidere, tempus
Deposito luctu, detersaque lumina fletu,
Gloriae ut orneris sollemni cyclade fulgens.
Non ultra eveniet, gens ut polluta prophano
Audeat immundo te sacram laedere tactu,
Devotamque Deo, nec pertransiverit umquam

Te incircumciſum genus; at fidiſſima cuſtos
Arridens lateri proludet candida turba
Dives opum ſanctarum, & felix ubere laeto
Virtutum, ac dotum foecunda, & lumine plena,
Plenaque amore ſedens, facto velut agmine, cinget
Juncta ſodalitio dulci, firmataque pacis
Foedere, corde pari, genio, parili ore, tuorum
Virginea comitum ſemper vallata corona,
Quam lex una, atque unus amor, concordia & una,
Una fides nectet, pax conciliabit & una.
Ac velut humano non eſt in corpore pars, quae
Aemula, & alterutri noceat, ſitque invida parti;
Sic, quem gemmata excepere ſedilia, civis
Sorte ſua ſemper laetus, ſemperque recepta
Mercede, ac meritis aequo diademate foelix.
Regnantes nec erit ſtimulus, qui concitet, aut vis
Pungat, an hic ſolio, ſceptrone potentior, an ſit
Ditior hic palla, mage ſplendeat ille corona.
Quomodo, quove poteſt fato id contingere, pleno,
Liber, ut imperii princeps, ſi jure potitur,
Et regni, & ſolii claro illuſtratur honore?
Adde, quod & Numen, cum ſit fons omnis amoris,
Et vena, & vis, cum ſit in omnibus omnia, & idem
Efficit actutum, communi ut gloria in uno
Intuitu quiſque allapſu uberiore fruatur,
Quae ſibi partitur propria unicuique: perennis
Nodus amicitiae, quam fortiter alligat, omneſque
Intercurrit amans, ſe ſeque reciprocat arctum
Foedus non impar ſacri dulciſſimum amoris:
Una eademque modis animi ſubit intima miris
Alterius, ſimplex, eademque ad vota cupido;

Utque

Utque una inter se se, & utrinque alterna voluptas,
Sic pax una, eademque quies pulcherrima habebit.
O superi! ecquis erit motus, quae vivida castae
Unda voluptatis, quae perfluet impete dulci
Corda animae? quam sors adigens, vis, ardor, & aestus
Suaviter impellet natos melioribus annis,
Conditione, habitu insignes tractare, tueri
Moribus illustres comites coelestibus omnes?
Qualis in astrifero gens aurea regnat Olimpo,
Quae soli conjuncta suo perlucida, summum
Amplectens verum non ora, aut pectora mendax,
Mentis contemplans oculo immutabile Numen
Aeterna, aeterno figens in Numine mentem
Altior obtutu rapitur suspensa; licetque
Hic nullius ope indigeat, tamen alter abundans
Alterius de fonte bibens impletur, & alter
Fertilitate satur fit nullo explebilis haustu
Laetitiam attingens socii, qua prodigus undat.
Dicite vos, animae, quibus haec data copia rerum,
An sit deliciis mergi, quot sidera suescunt
Et premere angelicae & per amoena vireta cohortes
Ludere dum vitae jucunda oblivia potant?
Dicite num valeat pro millibus unus amicis,
Et minor, & minimus large non impleat, ac si
Gens foret & pollens armis & foeta triumphis?
Talis adest talem se fert capitolia ad alta
Filia Coelituum Regis nubendaque Regi;
Non jam compedibus naturae oppressa, gravique
Subdita servitio turpi Rectoris Averni,
At sera licet, & precibus, votisque vocata
Est immortali nunc libertate potita,

Qua

Qua fruitur dilecta Deo numerosa propago,
Claraque prae multo meritorum foenore, plenos
Thesauros hominis, pretiosaque munera, dotes
Possidet innocui, primam cui gratia lucem
Aeternum mansura dedit bene grata petenti.
Foelix, cui tot se venae explicuere bonorum,
Aurea cui Superum patuit domus, aurea tempe!
Ut modo subsultat donorum tuta, suique!
Tangere, quam culpae nequit implacabilis ardor,
Quae indomitos hostes domuit jam nescia vinci
Inconcussa, potens, & inexpugnabilis ecfert
Se se, & sollemni increpitans sibi murmure plaudit.
Victrix iô bellatrix iô, duce Numine tanto,
Tanto & praesidio, virtute, & robore mecum
Effugio insidias venantum, retia, fraudes,
Haud aliter quam, quae stupis, viscoque retenta
Ingemit erepta se libertate morari,
Deprensum si forte pedem, atque exolvere nexus
Contingat volucri, volat illa, sibique secundo
Dat plausum gyro, garritque atque obstrepit alis
Aucupis elusi insultans laetissima fraudi:
Ejaculata truci convicia rideo lingua,
Nocturnosque metus, volitantiaque arma per auras
Hostili vibrata manu, atque asperrima verba,
Incertas errore vias, inscitiae & umbras
Abrumpo tristes, tenebrosa negocia, tetros
Daemonis incursus medio sub sole misellas
Incautorum hominum mentes vadentis, & arte
Collinat ut vafra, tacito quique implicet hamo
Saepius angelicam mentitur imagine lucem:
Sibila vibrantem horrenda, & crudele tuentem
Insigo

Insigo innumeris stygium Pythona sagittis,
Et passu portentificis infecta venenis
Intrepido super incumbens tumidi aspidis ora
Mille catenarum nexus, nodosque trahentis
Excutiens compesco jubas, rabiemque leonis
Victrici abripiens dextra, resupinaque calcans
Cruda reluctantis frustra, caedemque minantis
Effera tartarei pede protero colla draconis:
Nec modus est palmae, nostri neque meta triumphi;
Gratia ter Superum Regi: superata pericla,
Attriti laquei mortis, fractaeque catenae;
Ecce triumphatrix aeternum libera vivo
Non qua vita, non qua libertate, sub umbra
Sacrorum nemorum, atque horto spatiate virenti
Prime fruebaris genitor: potis illa periclo,
Vitaque succubuisse necis; sed nunc ego vita
Immortalis ero; non me peccata valebunt
Dejicere in mortis tenebras, fletusque ciere;
Omnis enim infelix perit haec invisa potestas,
Qua jus perfectum adstruitur, perfectaque mentis
Facultas: nunc me pietas, invictaque virtus,
Me aequum, & cana fides firmat, me roborat ardor
Sanctus, non animi quae subdor motibus ultra,
Ancilla aut Ditis, foedaeque pedissequa culpae:
Utque nec abruptum vitae invariabilis aevum
Digero, meque aeterna ambit lux, gloria, sic me
Optima, pura, proba, aeternum inconcussa voluntas
Recta, immota, & ineluctabilis una manebit.

At vos unde solo nati quicumque timores,
Quicumque & fletus istic remanete, pericla
Et necis & culpae infausta; infortunia, casus

Vobi-

Vobiſcumque doli maneant, fallacia, & aſtus,
Garrulitas, vanus tumor, ignorantia, cordis
Defectus, ſontem & mordentia crimina mentem,
Taediaque, ariditaſque, & inania vota; relinquentem
Omnia ſub pedibus me gratia, me aſtra, Deuſque
Excipiunt: caro Sponſi ſubnixa lacerto
Evehor, aetherias felix adſportor ad oras.
O dulcis requies! ſtatio o gratiſſima vitae!
O tellus! o fida loci tutiſſima ſedes!
Quis me tam ſimilem in terris naſci edocet? ecquis
Huic par laetitiae fons manat, & unde perennis?
Sed regere heu nequeunt ſenſus; deperdor, & omnis
Vis cadit ingenii: puerum rege Sponſa canentem
Me Chriſti rege Sponſa; oculo jam mentis acumen
Deficiuntque humeris plumae: te neſcio conſors
Quomodo pone ſequar tanti regina triumphi,
Dum propiora petis ſupremo tecta Tonanti,
Secretoſque aditus penetras, atque intima luſtras.
Ut prolem amiſſam Iſacides dolet, inde reperta
Exilit, impatienſque morae procurrit, & ambas
Injiciens collo palmas ſuſpirat, & ora
Humectans lacrymis, patria dulcedine languens,
Nate, o nate, inquit, mea maxima, nate, voluptas,
Deliciumque meum reperi te, te quoque tandem
Conſpexi; nil curo, nec adpeto; me tua dulcis
Solatur facies, meque allevat una dolentem,
Quae caput, & modus eſt votorum haec unica noſtri.
En motus, en deliquia, en dulcedo, voluptaſque
Optati ingreditur dum feliciſſima regni
Atria, regaleſque domos, arcanaque Regis
Agmine Sponſa ſubit comitum ſtipata micantum,

Pul-

Pulſantum cytharas, ac laudes mille frementum.
Intrat poſſeſſura Bonum, (mirabile dictu!)
Quod toties quaeſivit amans, dum vita manebat,
Quod toties metuit deperdere, conſpicit; ah dum
Conſpicit undantem torrentem gaudii ab imo
Corde reſurgentem ſentit, converſaque Soli
Caeleſte exhaurit divino lumen ab ore
Solis, quo dulci guſtans dulciſſima motu
Gaudia, flagranteſque ignes, & vulnera cordis
Concipit, inſuetum abſorbens tota ebria amorem,
Et prono ore petens pretioſi gurgitis undam
Immortale merum potat, lateriſque beatae
Accumbens ſpondae pleno ſe proluit hauſtu:
Praeterea Deus ille ſua, qui luce refulget,
Quique ope nullius ſolis ſplendentis eget; qui
Caeleſtem irradians aulam vigor omnia complens
Admirando animam praecingit lumine, ad uſque
Intima pervadit praeſens, quo tacta repente
Fortem, indictum, inſuetum, in morem impulſa ſuavem
Paſcitur, attrahitur, recreatur, inaeſtuat, inque
Lucis inacceſſae immenſam vibratur abyſſum:
Nec mora, nec requies: medio ſe projicit amne
Vitae immortalis, trajectoque argine, tota
Undantis largo torrentis volvitur alveo
Laetitiae, ardoriſque abſorpta in gurgite vaſto
Deficit, obruitur, fluvii deperdita gyro;
Summo & juncta Bono, Verum amplexata, ſuperni
Numinis exultat viſu, oh quae viſio! & oh quod
Imperium! qui vitalis praeruptus aquae fons
Se immiſcere ſuo Dominoque Deoque natare!
Huc & Ariſtoteles, huc pectora docta Catones;

Huc

Huc & Christigenae fulgentia lumina gentis,
Praesul & Hipponae, sacrae Bethlemis & hospes,
Tuque, novi radias qui lampade Solis, adeste
Quot sunt, quotque Sophi, rerumque fuistis, & estis
Caelestum gnari, Christique in Gymnade docti
Dicite, menti hominum non est conforme, magisque
Insitum, & ingenitum naturâ inquirere causas
Rerum (non fallor) non est sapientia, non est
Et virtutis amor, verique arrecta cupido?
Postque tot ambages, post tot consumpta labores,
Si mens, quam toties quaesiverat anxia, quaeque
Jampridem obscuro latitaverat abdita velo
Notitiae attingat lucem, teneatque repertam,
Quae tunc ingenio surgunt solatia nostro?
At quae commemorans fingo? caelestia rebus
Non hercle humanis fas est aequare, nec hujus
Mundi deliciae referendae ad pabula Divum
Illa anima accumbens quibus immortalia felix
Vescitur, arcanumque inhians libare saporem
Suspenso gustat suctu vada mystica; & ecce
Almam naturae speciem communicat illi,
Et quantum & quicquid pulcri divinus in alta
Condit mente Pater jam non umbratile, at ipso
Lumine splendidius: rerum adveniente feraci
Cognitione pari adspersâ dulcedine blanda
Admovet inde labrum Genitoris humillima labro,
Vitalemque auram divino efflantis ab ore
Ore trahit, cujus corde eructatur ab imo
Faecundo bona vox, latitansque in pectore Verbum
Omnipotens Verbum. In voce hac nam quid videt unquam?
Quid tenet hoc in Verbo anima? & videt, ac tenet unum

Sim-

Simplex, verum ünum, ac ſine fine, & origine pulcrum
Percipit, immenſum, auguſtum, impenetrabile Trinum,
Quo tot cauſarum, tot opum ſcaturigo perennis
Profluit, & rerum, quo larga emanat abunde
Cunctorum ſapiens, pulcherrima, nobilis unda
Optima, ſancta, potens, dives, faecunda bonorum.
Ipſum eſſe, ipſum unum, fontem ſine fonte ſcatentem,
Et videt eſſe Dei, eſſe quod eſt, videt eſſe, quod extra
Se nihil eſt; & ſi quid, quod non ambiat orbis
Uſquam eſt, id nihil eſſe, niſi eſſe Dei, videt in ſe
Uno cuncta videns, videat cum Numen, ut in ſe eſt;
Non impreſſa velut ſpecies in lumine, non ut
Adverſo in ſpeculo ſpectatur imago recepta
Inſpicit; at natura Dei conjungitur illi,
Quae ſpeciei obit officium a ratione profectae,
Ut bene proſpiciens noſcat, noſcenſque fruatur,
Ut Deus & ſemet noſcit fruiturque videtque;
Sicque unita Deo, haud potis eſt cognoſcere mens, an
Facta ſit ipſa Deus, Deus an ſit verſus in illam.
Ergo agite erectos ad ſidera tollite vultus;
Inſertam ſuperis ſpectate Sionida templis,
Quae novitate rei jucundo percita ab oeſtro
Dulcia pectoribus repetens prorumpit ab imis
Dulci verba ſono. O lux admirabilis! O Rex!
Tota redundanti facies tibi plena lepore
Stillat, ab ambroſio fragrantia vertice ſpirat,
Gratiaque, & zephiris dulces halantibus aurae:
O deſiderii modus unice, & ultime noſtri
Te ne ego jam teneo poſt tot bene tuta labores,
Poſtque tot elapſae ſuperata incommoda vitae
Te ne animi, pax, & requies, videoque, fruorque?
Nec

Nec citius video, flamma ſuccenſa potenti,
Exprimo quam Seraphim ſimiles in imagine vultus,
Et modo ſto, modo curro, ipſa irrequieta quiete;
Te ſatior citra ſatiem, ad te fervida anhelo,
Quoque magis te ſuſpiro anxia, eo magis ipſa
Te ſaturor, ſemper ſitibunda, famelica ſemper.
O Sponſe! o ardor! plena o exultatio! voces
Aſtra, Tribus, Populi, Linguae conjungite noſtris;
Sub pede ſtellantes quot dat mihi cernere gyros
Tot Regi aeternas grates perſolvite, laudis
Concinite in numerum praeconia, plaudite dulci,
Quo fruor, objecto, quo tanto naufraga perdor
Facta velut felix ſcintilla a ſole reſorpta.
Sic memorat, fruiturque Deo, doniſque receptis
Laeta dato imperio, thalamoque, & divite regno
Funditur in plauſus, dulcique liquatur amore.
Olli ſubridens hominum Pater, atque Deum Rex
Inclinat vultum, tenereque ad pectora preſſae
Oſcula delibat natae, ac blanditur amicis
Vocibus incipiens. Oh quae de thuris odoro
Vertice, de Libani circumundique olentibus umbris
Pulcra venis, electa venis! quam candida, pura,
Dulcis amica redis! requieſce, reſide columba
Immaculata ſinu dormi, belliſſima, dormi:
O mea, luminibus peramabilis, aſpice temet
Filia, ſponſa, ſoror nobis junctiſſima, quantum
Interius niteas! quanta emicet ore venuſtas!
Quae puro nivei cordis, mentiſque colore
Exſuperas longe candenti corpore cycnos!
Candida eras tunc, cum manuum ſublime mearum
Perfectum exieras opus alta in mente repoſtum,
Lumen-

Vultumque & lumen, ſimileſque in imagine vires
Ducebas; cum te affinem mihi, Sponſa, crearam,
Diîs aequam, interius purae adflans lucis honores,
Et ſanctos decori miſcens, & amoribus ignes.
At nunc oh quantum redis ad me illuſtrior, & quam
Pulcrior effulges! cum te mea gloria cingat
Fulgore, inſinuans pervadat, & intima luſtret;
Atque coruſcantem lucem undique, & ūndique lucem
Ditatam meritis, donis, ac dotibus auctam
Virtutum vario te circumſepit amictu
Et rigido argento, atque auro ſaturo intertexto.
Ex aditu quicquid noſtri ſapientia pandit,
Perſpicua & ſignata nota, ſolidoque adamante
In te ſculpta lego dicta omnia, & omnia facta,
Quaeque ferent monumenta, & tempora lapſa tulerunt
Tecum fida manent, tecumque aeterna manebunt:
Nec te ſobrietas frangi, & prudentia falli
Neſcia, non umquam jus deferet incorruptum,
Nec robur, mirà unanimes pietate ſorores.
Intima naturae ſecreta, arcanaque Caeli
Hactenus abſtruſa, ac ſepteno condita ſigno
En reſerata vides: fidei myſteria tecum,
Divinas & opes, & ſacra aeraria habebis.
Quid memorem tua vota mihi, deſponſaque caſta
Connubia, amplexus caſtos, caſtiſſima tecum
Oſcula ſuavia non tacto mage dulcia melle,
Suavem dum ſpiras mage myrrha, ac lilio odorem
Balſama vincentem, gratiſſima cinnama, cedros?
Hìc caeleſtis apes purum circumlego florem,
Perque tui advolitans nativa roſaria vultus
Delicias inter redolentis, & ubera paſcor.

Dici-

Dicito, cara ſoror, quae ſancto in corde voluptas,
Cui tot metiri cupidae, ac luſtrare capaci
Tanta datum, dabiturque oculo tam pulcra tueri?
Dum tuus uſque Deus, dum tu mea ſemper, & ultra
Dicêris, dum dicar, eroque in ſaecula, menſae
Aeternum dapibus ſatiabere, deque perenni
Fonte bibens vivo, pretioſo impleberis auro.
Ludor? an has ſpecies ſibi mens laetiſſima fingit?
Vel jucunda fidem narrantis fallit imago?
Me tamen uſque adeo blande ſolantur amica
Somnia, ut allectus viſu, dulcique theatro
Rerum, commovear, terraeque oblitus, ad aſtra
Lumina fixa tenens ſuſpirem, ac vocibus inſtem:
O patria o Caelum o ſedes dulciſſima pacis,
Qua ter gaudet ovans humana pericula ridens,
Ore Dei compos ſervetque & gaudia miſcet
Sponſa ſuae ſecum repetens miracula formae,
Et regno, & ſolio, ac triplici illuſtrata corona,
Quando erit, ut calidi pluma ſubvectus amoris
Te ſubeam, deturque mihi abſorbere profundo
Pectore, qui fonte ex illo aeternum fluit ignis,
Luminibuſque tueri avidis quodcumque bonorum eſt?
Talia fatidico reſerabat carmine Vates
LOYSIUS veri Vates, cui lactea fandi
In morem pluviae, puroque ſimillima rivo
Copia, tempeſtas cui defluit aurea verbis,
Pectoris ex adyto cui decidit irriguus fons
Ubere doctrinae preſſus caeleſtis utroque:
Irati quibus ille animi mulcere procellas
Poſſit, & obſcurae depellere nubila menti.
Nec mora: praedulci correptus turbine rerum

Laeti-

Laetitia miſcet lacrymas, ſuſpiria miſcet,
Terreni populus penituſque oblitus amoris
Caeleſti flagrat ſtudio, caeleſtia anhelat,
Et captus ſermone, tenet, fruiturque loquentis,
Supplicat, exultat, gemit, attremit, obſtupet, ardet,
Deſtruit, aedificat, divellit, & inſerit unâ.
Ad nova plauſerunt de Caelo inſomnia turbae,
Plauſerunt Proceres, & adhuc ſub pectore ſervant
Dulces verborum ſonitus, & gaudia paſcunt:
Quin Caelum manifeſta dedit laetiſſima ſigna;
Spargere Sol viſus radios meliore capillo,
Omine ceu dextro reſerata oracula firmans;
Et Pater omnipotens laeva de parte ſerenum
Intonuit, purumque effulgens riſit Olympus
Sacrum teſtatus Vatem divina ſonantem,
Ut populi audirent Thuſci, ſordeſque vetuſtas
Purgantes, veniam expeterent, atque omina lucis
Acciperent; tacti & gemitu, cordiſque dolore
Sincero Superis progignere grata valerent
Germina honeſtatis, fructuſque referre ſalutis.
Has inter Vatis voces, Caelique fragores
Abditus herboſo caput antro erexerat Arnus,
Terque gravi aſſenſu quatiens, & murmure laeto,
Terque iterum mergens curſu dedit ire ſonoro
Spumeus, & motas adſpergine miſcuit undas.

